

stica, num ea cum Politica eadem sit, an diversa: cuius questionis diexodon, Articulo septimo & postremo abusuum mutatorum, nostra expediit Confessio:

8. Nos utriusque Articuli tractationem hac vice conjungentes, Θεωρον duabus istis principalibus Questionibus commodè absolvi posse judicamus: I. Quid de rebus civilibus, sive legitimis ordinationibus civilibus mens pia credere & sentire debeat. II. Quid discriminis intercedat potestati Ecclesiasticae cum politicâ: & num utriusque jus uni personi eodem modo possit competere.

Partis I. Θεωρησις, Quæstio I.

9. De rebus civilibus partim in genere, partim in specie suam confessionem edunt protestantes: Ac in genere quidem, suas Ecclesias docere asserunt, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera DEI, ac proindè sint licitæ.

10. Ordinationum civilium termino indigitantur leges & constitutiones publicâ Magistratum autoritate sancitæ: Quas civiles nominari usu receptum est, partim à causa efficiente sive autoribus legum, qui in politicâ rerum civilium administratione plerumque sunt constituti; partim à conditione materiæ quam tractant, quæ
exter-